

anteponunt; quæque a seipsis, & christianæ reipublicæ proce-
ribus præsidia ad libertatem, ac decus tuendum petenda fo-
rent, ea in teterrimorum hostium fide sæpius summo damno,
& dedecore experta, ponunt; quos denique nulla ad præclara
facinora spes attollit, nulla animi virtus, & constantia ad
gloriam incitat. At vos, Patres optimi, quos Reipublicæ cura
solicitat, qui semel interpositam fidem nullo unquam casu fe-
fellistis, ambiguum, ac veluti veneno oblitam pacem abnuite,
neve fallaci aura illecti, navim pelago committite, neu cuncto-
rum Christianorum, qui a vestris consiliis pendent, spem fru-
stremini. Aderit vobis Summus Pontifex; aderit Cæsar; pu-
gnabit una cum Germanis Ferdinandus frater: nemo, ut cre-
dibile est, non in bujus gloriæ partem adesse volet: piis, ac
religiosis votis aderit Deus immortalis, qui per tot sæculorum
continuam seriem Rempublicam nunquam non ex summis pe-
riculis eripuit; aliquando, imperiis, ac provinciis delatis, in-
signi gloria cumulavit. Quid igitur moramur? quid cuncta-
bundi hæsitamus? cur non statim, abjectis de pace consiliis,
fœdus, quo incolumitas nostra nititur, divina ope implorata,
non amplectimur.

Cornelii orationem Marcus Foscarus excepit, ac pro pace in
hanc sententiam loquutus fertur.

Ea est humanarum rerum conditio, ut variis jactatæ casi-
bus non easdem semper sententias, non eadem consilia poscant;
ac nonnunquam usu venit, ut ii, qui nimium propriæ senten-
tiæ addicti inanem constantiæ laudem aucupantur, cum in ma-
gnas calamitates inciderint, tum seræ pœnitentiæ pœnas luant.
Itaque non modo Senatusconsulta in amplissimo hoc confesso af-
ferre, sed, nullam in partem inclinato animo, quæ e Republi-
ca sunt, audire, ac perpendere est opus; ne iis, qui opinione
aliqua imbuti hac accedunt, illud eveniat, quod iis accidere
solet, qui suffusis externo colore oculis intuentur, qui nihil sin-
cerum cernere; nullum de visis judicium ferre valent. Nam
si rerum præsentem statum recta mentis acie circumspicere ve-
limus, non is mihi ejusmodi videtur, ut Suleimanum, pace
jam tertio oblata, ne responso quidem dignemur. Ut enim mul-
ta in bellum a nobis comparata sint, quæ, si alium hostem ha-
beremus, baud exiguum nobis spem prosperi eventus facerent:

iis

Oratio
Marci Fo-
scari.